

Q.K.  
375,  
24.

X 13 03678

II n  
6042

MONOTRIADE FAVENTE.

ex

HISTORIA CIVILI

De

# REPUBLICA VENETA

Succinctè Disputabunt

PRÆSES

DN. GEORGIUS *Green* /

Historiarum Profess. Publicus

&

R. A.

JOHANN ADOLPH KIRCHBACH,

Dresdâ Misnicus

in

Acroaterio Majori

Die 14. Febr.

A N N O

M DC LXXII.



VVITTEBERGÆ,

Exprimebat JOHANNES HAKE.



67  
T. 5





REPUBLICA  
VENETA

DI GIORGIO  
GIULIO

JOHANN ADOLPH KIRCHDORF

Academia Majori

MDCCLXXII

Expensis JOHANNES HAKE







## FAXIT NUMEN.

I.

**R**espublica Venetorum, miraculum inter Respublicas, tenuibus admodum natalibus surrexit. (a) Amplissimis auctibus cumulata adolevit: Adulta successu nunc plane singulari & stupendo posteritati trahitur. Postquam enim re domi bene composita, armis adplicuit animum, in tantam crevit potentiam in quantum paucæ ante eam, & nulla fortasse post eam. (b) Exhibuit se Respubl. Rebus publicis Reginam. Dominam Adriatico mari. (c) Stetit regiis insignibus evincta. (d) Stabit donec æternitas rerum. Memoranda hic Regna, memorandæ Provinciæ atque Insulæ quas redegit in suam potestatem. Ex illis nomino Cyprum, Cretam, (e) Dalmatiam, illud amissum: Istius caput proxime ademptum: Hoc etiamnum possidet. Ex istorum numero alio lego, Marchiam Tarvisinam, Forum Julium, Istriam, partes nonnullas Lombardiæ Transpadanæ, agrum videlicet Brixensem, Bergomensem, Cremam in regione Cenomanorum: Et plura alia, quorum bona pars Pontificibus & Mediolani Ducibus reddita. Ex his recensere bo Corcyram, (f) Zephaloniam, Zazynthum aliasque. Nempè Venetis sola virtus & gladius tribuit, quod aliis fortuna solet. Et credo fata sic voluisse, ut inter reliqua emineat Venætiarum nomen.

(a) Inno-



(a) *Innotuit Urbs seculo V. ante nec visa unquam, neque audita: Fundataque primò circa Rivum altum est, medio in urbis hodie ferme loco. Quamquam v. initia parva, Conditores tamen & habitatores illustres Fuerunt. Hinc rectè F. Albert. Leander in descript. U.V. Neque vero, inquit, primus ille hominum cætus ex piscatoribus aut pastoribus, aut omninò flagitiosis & infamibus viris, sed ex nobilibus optimiq; generis Civibus constitit, quales nimirum autores esse oportebat civitatis, quæ postea tam augustum & amplum mari terraque imperium consequeretur. Quale & superioribus Seculis habuit, & in hunc usque diem habet. Addatur Leandro Blondus, qui satis confidenter idem monet; Venetam urbem, non à pastoribus sicut Romam, sed à potentioribus olim ditioribusque à principio habitatam fuisse. Caterum initia Urbis hic in diversum trahunt autores. Nempe dissentiunt vulgò, Itali juxta atque alii, num ante Attilæ adventum, num post Aquileiæ excidium migratio facta in æstuarium maris sit. Sequimur nos illos: Asserto robur addit Sabellicus; Et fugam, sub Attilæ adventum secutam, ad incrementum Urbis referimus.*

(b) *Impensum antehac Reipubl. studium fuit, propagare Imperii sui fines, omniaque quæ in continentis ora posita, sua subjicere potestati: Neque semel occupata, sibi facile patebatur eripi. v. Comin. l. 2. d. bell. Neap. In tanto tamen fastigio, quò Roma, nunquam fuit. Rationem exhibet Först. in notis ad Tacit. Tom. 1. Sed vero Venetos acquirendi animum hodie abjecisse, & tantum præsentia defendere, à tempore Cameracensis fœderis scopum sumpsisse, recordor. Cum suboleat prudentia Veneta, intutum esse poscere aliena, neq; moderno Reipubl. suæ statui aptum atque conveniens. Itaque hunc si retinuerint modo animum, & securitatem conciliabunt sibi, prudentiam representabunt suis.*

(c) *Vin-*



(c) Vindicant sibi Veneti Adriatici Imperium maris, & jure vindicant: idque firmatum multis nominibus habent. Occupationis Titulus valdè dubius quidem, an usucapionis, an donationis, an transactionis sit? & multa praesertim inter doctos de postremo disceptatio, certamen ingens. Donatio Pontificis, ne digna quidem ut referatur, adeo inepta est & vanitatis plena. Rectè jam olim Caribes, ad Ancisum Hispanum pronuntiarunt, miram sibi videri Pontificis liberalitatem, qui quod suum non esset largiretur. Num verò mare dominii capax, plura non vacat hic addere, jamdudum contra Grotium, evicit illud Seldenus. Ratio, quia res jure communes, jure Imperii possunt coarctari, & adeo in principis patrimonium redigi. Eslo Mare: occupet Princeps, vel quia possessore vacuum, vel quia interluit territorii sui fines, erit Principis, qui occupavit, commoda quae ex eo redundant, ad Principem redundabunt, ad fiscum Principis pertinebunt. Eoque in occupationis & usucapionis Titulo, maximum Venetorum positum erit praesidium. Sentiunt idem DD. pene omnes. Capo de servit: Tit: de mari, eos tantum habere jurisdictionis dicit in mari, quatum in Civitate Venetiariu. Robur accedit insuper ex consuetudine pendendi vectigal nauticum; demittendi vela; praestandi tutum pro ea parte qua possidetur Mare; vindicandi mercium Vectores, qui vectigal non pendunt, cum à pendendo per privilegium, aut simile beneficium non relaxati fuerint. Quae omnia recognoscendo maris dominio faciunt, imò sufficiunt. Et acta agere videremur, quari amplius velle de iis, quorum effectus longa temporis praescriptione firmatus, manifestò constat. Quin imò defendit Respublica, tuetur hoc jus suum, fremente etiam Pontifice, fremente Hispanorum globo. Sustinet iniquos injura sua invasores, vindicat sibi quod suum est.



(d) *Respublica Regia dicitur, quia regna rededit in suam potestatem. Hinc Regium Titulum, regiumque locum praeferendit, Regibus esse amula cupit. Germanica loquendi formula vocatur Eine gekrönte Republik.*

(e) *Neque summo ante hac impendio defensum Candia Regnum, amplius Respublica sustinere potuit, sed magna Christiani orbis iactura nunc amissum, Barbarorum libidini ac praeda, iusta forsitan numinis divini ira expositum luget. Saepe quidem Turca munitissimum Candiae propugnaculum stomachum movit. Unde & effudit in illud vim suam plus una vice, furore majori quam hostium esse solet. Repressit tamen semper Veneta virtus furorem, donec nuper tandem ultima vice, cum nullum, repellendi hostis instantem furorem, remedium superesset, cedere maluerit, accedendo victrix existere, quam vincendo omnia dare in casum. Sed vellem plane stetitset pugna: Non tot iactata opes, non tantum sanguinis innocui profusum fuisset.*

(f) *Etiamnum Corcyra Sultano Turcarum sedes in oculis est, sive quod opportuna adipiscendo Imperio Maris. s. quod comoda situ, ut vexet Rempubl. magis, ut immineat fortis us è propinquo. Ideò consultum est eligere circumspectos militia Curatores, qui vigilant mature, & consulant recte, ne si liceat, quoque aliquando Turca per illam in Adriaticum mare grassetur, supremum Mediterranei dominium iam solus affectans, & omnibus omnia invidens: quippe haec Imperii Adriatici robur atque firmamentum audit, imò clavis est. Hanc si probe muniant Veneti tuti erunt.*

2.

*Cum Venetis nihil hic nobis rei esset, si illi intra littora & insulas suas quemadmodum antea sese continuissent, abstinuissentque propensa continentis oram sollicitare libidine. Sed in eo plus una vice peccatum aliquot*



aliquot ab hinc retro Seculis. Id quod nobis luculentis-  
tissimo argumento est, non eundem iis ubique possi-  
dendi Titulum esse. Quapropter asseremus Reipubl.  
vindicabimus quod suum est. Vindicabimus autem Im-  
perium Adriatici sinus, dominium in vicinas ejusdem  
maris Insulas. (g) Reliqua in continente posita absolutæ  
eorum potestati subesse, ex justo denegabimus. (h) Im-  
perio enim præter jus ereptæ. Et non sinet Imperium  
Sacratissimum, illa repossidere. Sicut jam quondam repo-  
scendi auctor fuit, augustissimus noster Maximil. I. Prin-  
ceps ut generosi spiritus, ita invicti animi magnitudine  
omnibus præluens, singulariter ad belli gloriam natus,

(g) Conf Tabula Henrici V. Imperatoris, facta Verona,  
Anno millesimo centesimo decimo primo, cum Ordolpho Fal-  
etro Venetorum Duci, quas exhibet Crasus in suis, Conringi ju-  
dicio, aureis ad Donatum Janottum annotatis p. m. 443. vi cu-  
jus Tabula definite Veneto Ducatui adsignantur, Rivo altus,  
& Metamaucenses, Clujenses, Palesthinenses, Caputargolen-  
ses, Brintellenses, Lauretenses, Babienses, Murianenses, Ma-  
jorbienses, Torcellenses, Amianenses, Buriaretes, Constanti-  
enses, Aquilienses, Caprolenses, Civitatinenses, Finenses,  
Gradenses & cuncta generalitas populi Venetia, sive qui mo-  
do sunt, sive qui in posterum futuri sunt.

(h) Nempe Venetis Dominium in Continentis Terra  
partes non in solidum hic denego, modo supremam potestatem,  
quam contra jus fasque sibi competere prætendunt. Quippe o-  
mnia ista bona Italici juris sunt, eo ipso a quo Italici Juris,  
Imperii bona, quatenus Italia Regnum Germanica Corona fœ-  
dere æterno annexum. Eoque neminem nisi Imperatorem ha-  
bent quem agnoscant superiorem. Quinimo Venetos ipsos IV.  
saltem ab hinc retro Seculis confessos esse, se illa tanquam be-  
nefici-



neficiaria Imperii possidere, probare ex solutione tributorum est. Luculentissimum nobis suppeditat exemplum Conradus Vecerius, (citante Conring.) lib. de rebus gestis Henrici VII. Hæc de Episcopo, inquit, Genevensi Cæsaris Legato: IDEM ANTISTES PROPECTUS VENETIAS, TRIBUTUM PRO VETERI CONSVETUDINE POSTULAVIT. Appulso honor ingens habitus, adnumerataq; in Tiaram TALENTA VENETA MILLE. Jam v. neq; armis devicerunt anquam, neque acceperunt consensu Imperii vel tacito vel aperto, ideo salva manet atque integra in sua Imperio potestas. Neq; inde forsã alicui dubium exoriri debet, an non tacite consenserit Imperium, quando nunquam illa sibi iterum vindicaverit: at v. non qui rem sibi nõ vindicat consentit in possessionem alterius. Est n. ut prohibeatur recuperare desiderata. Sed & Augustissimus noster Maximilianus I. olim summa Venetorum ignominia Imperio vindicavit: Etsi vicissitudine fortuna iterum amiserit. Neque propterea tamen Imperiũ juri suo renuntiavit, quippe discretis verbis Augustis & Regibus nostris ab Electoribus imprimatur, ut serio & diligenter Imperii per Italiam jura ab interitu vindicent. Arctius Imperii vindicavit jura Herm. Conring. de finib. p. 543. seqq.

3.

Satis spectavimus ditiones Reipubl. subjectas, redeamus ad ipsam Venetũm Civitatem. Sedet in intimo maris Adriatici sinu, palis & paludibus innixa. Separatur à continente Oceani undis, undarum non timet fluctus. (i) Est Civitas sine mœniis, sine portis, (l) nec inde tamen hostium reformidat insultus. (m) Ambitu circumscribitur satis vasto: (n) Vastitatem stupenda perstringit pulchritudo, ut Regium apparere undique fastũ dixerim, nusquam ferè Civilem mediocritatem (o).

(i) Nempe



(i) Nempe firmisimum vallum provida natura marino furori objecit. Ego divino potius quodam consilio hoc ita crediderim provisum, ut tutum asylum habeat inde Libertas. Nervus rei est is: Aliquot millibus passuum à continente mare incipit esse vadosum, intra vada & brevia littus assurgit veluti agger quidam, inchoatur id ab ipso Adriatico sinu, & recte procurrit, quoad infra Brondulum continentem attingat, beneficio cuius omnis interna statio tutissima redditur. Conf. Cont. l. 1. p. 80. Janott. p. 23.

(l) Pro mariis litora habet, pro muris aquas & lacunas, quas fluxus refluxusq;, sexta quaque hora quotidie alternando, agit. Recte Sabinus.

Ambit aquas Nereus pro muro spumeus urbem  
Fluctibus est omnis, tutus ab hoste locus.

(m) A continente aggredi vetat natura. Navibus v. invadere, non minor obstat difficultas. Prestant id stagna quibus circa & intra urbem navigatur omnibus locis adeo depressa. Accedit insuper, cum Marini aestus maxime recedit, plurima loca detecta conspiciuntur. In reliquis demonstrandis impedimentis, multus est Janott. p. 25. seqq. Natura demum dotibus succurritur sedulis excubiis, tuenturque Adriatici maris sinum 40. Triremes. Propugnaculum Palmam, centeni hominum mille. Thuanus l. 19. & 52.

(n) Vastum est Cirivatis Corpus, angustior sequiorè quam hodierno ævo. Coaluit nunc ex 72. sicut olim ex 60. Insulis. Hinc multis pontibus connexa, multis euripis divisa amplissima urbs coheret. Bot. d. V. C. Janott. l. c.

(o) Prolixus in recensendis Palatiis & splendidis ubiq;, aedificiis est Aut. Gall. D. T. U. T. in lib. des Estats, Empires, Royaumes & Principautes du monde p. m. 369. seqq.



In Civitate occurrit Incola numerosus, Advena ubique frequens. Perhibent eam communiter totius orbis Emporium. Haud inconvenientius, omnium prope modo gentium confluxum (p). Idque adeo verum, si uspiam aptus negotiationum locus, felix Venetiarum erit situs. Argumento nobis satis, stupenda Reipubl. incrementa. Commerciis opes, (q) opibus potentiam, potentia securitatem paravit, paratam mire stabilivit.

(p) Germanus quidam Poëta ideam orbis hic pene affectat, dum scribit.

*Si placeat varios hominum cognoscere vultus*

*Area longa patet, sancto contermina Marco.*

*Celsus ubi Adriacas Venetus Leo despicit undas.*

*Hic circum gentes cunctis è partibus orbis,*

*Aethiopes, Turcos, Slavos, Arabesq̄, Syrosq̄*

*Inveniesq̄ Cypri, Creta, Macedumq̄, Colonos.*

*Innumerosq̄, alios varia Regione profectos:*

*Sape etiam nec visa prius, nec cognita cernes*

*Quae si cuncta velim tenui describere versu.*

*Hic omnes citius nautas, celeresq̄ phaselos*

*Et simul Adriaci pisces numerabo profundi.*

*Supervacuum hic referre plura, omnibus quippe haec pervulgata.*

(q) v.



(q) v. Paulus Parutha l. 4. Paul. Jovius l. 1. Hinc vulgò Venetia la Ricca. Idem judicium Hispani cujusdam, qui lepide juxta & verè pronuntiavit, Thesauros alibi nasci, apud Venetos conflare. Non vacat addere quid de variis colligendi modis Thesauros, conf. Casp. Ens Thes. Polit. part. 1. Boter. c. 14. d. C. V. Aut Gall. D. T. U. Y. p. 375. Bembus & alii. Reditus annuos exhibet Lucas de Linda p. 790. Aut. Gall. l. c.

5.

Ipsa Veneta civitas neque serit nec metit. Ingens nihilominus omnium necessariorum adest adfluxus. (r) Illa quidem, quæ propria viscera alibi largiuntur, tot hominum myriadibus ægre sufficiunt. Quapropter exterorum opibus domesticam inopiam supplet. Exteris v. ipsamet vitrea, lanæ & serica opificia reddit.

(r) Conf. Bot. c. 14. F. Leand. Alb. p. 787.

6.

Has dotes fortuna indulgit, natura certe non minores. Gravitas, (s) Prudentia, (t) Fides, Taciturnitas alibi comparantur industria, Venetis ingenerantur.

(s) Paul. Jov. l. c. Veneti homines in universum sunt graves, severi in judiciis, & in adversa rerum fortuna constantes, in altera nunquam immodici. Paulum Jov. sequitur Aut. Gall. D. T. U. Y. l. c. dum ait: Les Venitiens ont une grande gravité & contenance en leurs actions, mais sont fort severes, où ils ont la puissance, mesme jusqu'à l'excès. Sequimur nos utrumq̃.

(t) Crassus in not. ad Janott p 278. Veneti si qua virtute, profecto Consiliis, & prudentia præstant; aliarum Virtutum laudem nec illis eripere, nec concedere velim majorem quam aliis.

B 2

7. Reli-



7.  
Religio præterea illis sancta. (u) Aliam quam Romano Catholicam profiteri, summum piaculum. Eoq; omnibus, præter Græcos & Judæos, publicum religionis exercitium præclusum. Reliquis, vel saltem in privatis secessibus, ne quidem liberè sacris suis operari permissum. Sed & connivere sæpe eos, & dissimulare quædam, neq; hic celare velim.

(u) *Tantum devotionis habent Veneti quantum opus est. Et ita habens, ut quidem reverentiam exhibeant Pontifici, ejus auctoritatem v. non adeo superstitiosè colant. Id quod re ipsa jam quondam expertum habuit Paulus V., Romana summus Ecclesie Antistes. Quem inter & Venetos magna suborta disceptatio. Ut qui Rempubl. Venet. laceffere constituerat eò quod sedes Romana multò retro lapsis annis satis ostendisset sibi à Civitate Veneta in duobus præcipue punctis satisfactionem non obvenisse. 1. Quod omnes Ecclesiasticos à regimine seculari excluderet. 2. Quod nullam pensionem Curia Romana solveret. Accedebant his alie circa supremam in Ecclesiasticis potestatem controversie; utpote Veneti, nonnullos ex Clericorum ordine, ob enormium scandalorum scelera reos factos, Venetias abduxerant, ibidemq; Carceribus retinuerant, meritas de ipsis sumendi pœnas. Quam ob rem indignatus Pontifex poscebat, traderent sibi delinquentes, falso prætendens, se non posse permittere, Ecclesiasticos per secularem Magistratum judicari. Sed denegabant Veneti postulata Pontifici, reponentes, non posse se tale quid Romana sedi concedere, citra præjudicium libertatis à Deo sibi concessæ, ac tot annis Majorum sanguine conservatæ. Ob quod magis magisque incensus irâ Paulus, bello dicto audientes recedere Venetos destinabat. Veneti, ut causa sua*



sua iustitia firmiter innitentes, constanti animo atque infracto, iniquissimum hunc Pauli furorem sustinuerunt, ut sine ulla Venetorum submissione, ad pacis foedera revocanda compulsus fuerit. Invehebatur ante quidem in eos Pontifex, anathematisque fulmine percellebat: Sed nil veriti id Veneti, in odium iniquissimi hominis, Anno 1607. omnes Societatis Jesu Fratres, ex Urbe & Provinciis in perpetuum eiecerunt. Non ignari, pessimum hoc genus hominum esse, & idem Rebus publicis adferre, quod lues pestifera corpori sano emolumentum. Conf. Thuan. p. 137. Nihilominus ante aliquot annos necessitate belli Turcici, in gratiam Pontificis strictis quanquam conditionibus, restituti fuerunt. Georg. Horn. O. P. p. m. 115.

8.

Rempublicam inter Respubl. Reginam, liberam, semper suis Legibus usam, nullius addictam juri fuisse: Surrexisse insuper liberam, Liberamque adolevisse, sentiunt multi magni aestimationis Viri. Neque v. & desunt, qui horum refragantur auctoritati. Ut verò libertas Veneta inter graves Scriptores controversa, ita non minor disceptatio, utrum subactae armis aliquando Venetiae Pipini Francorum Regis fuerint, num v. secus. Negant Venetici Scriptores, adfirmant Francici. (x) Nostrum hic non est decidere has controversias. Sed alium hoc opus locum, aliud institutum poscit. Id v. injustum fore crediderim tacere, comiter semper habuisse Rempubl. Occidentis Imperium, paruisse nunquam.

(x) Conf. Annales Francorum. Post hos Regino Abbas Prumiensis Caenobii ad Annum 810. it. Aut. vita Carol. M. subiecta, inquit, Venetia ac Ducibus ejus in deditioem acceptus. Idem post hunc tradit, Abbas Urspergensis ad Annum

B 3

810. Pa-



810. Pipinus Rex Italia, filius Imperatoris, perfidia Ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terra marique jussit appetere, subjectaque Venetia Duces ejus in deditiōem accepit.

9.

Instandum coeptis, formandus Reipubl. status est. Paucorum regimen deprehendo, nil praeter illud. In cōmunionem enim Majestatis admittitur nemo, nisi Patricii Vir sanguinis. Eoque praclusus aditus populo ad ardua illa, in quibus civitatis spiritus, Reique publicae summa: Et solo obsequendi jure debet esse contenta. Quamobrem statum purum & simplicem hic dabo, eumque Oligarchicum. (γ) Imperium contra mixtum, coagmentatumque ex diversis denegabo. Falluntur qui simulachrum pro vero, umbram pro corpore venditant.

(γ) Nunquam populus in Comitibus adsciscitur, non consulitur neque rogatur, sed supremum hoc Majestatis jus, sibi soli Patricii vindicant, & observasse saltem ea obsequioso cultu, facta Majestatis nomine praecepta, plebi sufficit. Unde & soli patricii sanguinis Viri audiunt cives. Reliqui vel minus accuratè aut abusive ita dicuntur. Neque inde facile ausim assentire Crasso, qui tres distinctas incolarum Venetiis ponit Classes, Patriciorum, Civium, & Plebis. Illos optimo jure, Istos medio duntaxat jure & satis honesto Cives vocat, cum praeter arcana Reipubl., quae cuncta iis concederentur obirent etiam gravissima munera in Reipubl. p. 203. Sed perperam, neque n. sufficit ad accuratum Civis nomen, participem esse juris magistratus, suffragiorum consultantium, ac publicarum adeo deliberationum: uti id in principatibus satis perspicuum est ubi illi qui Magistratus officio funguntur non vocantur Cives: Sed de suprema potestate atque summa Majestate participet necessum est. Vi



est. Vi itaq; praeceptionum Civilium, solos illos, qui de Maje-  
statis participant juribus Cives audire, evici. Cum v. id  
Veneriis modo Patricii habeant, merito paucorum statuo re-  
gimen idq; purum & simplex. Paucorum autem quia Nobiles  
minimam Reipubl. partem absolvunt. Unde & sine injuria à  
Cont. recedo, qui l. 1. asserit regimen Optimatum populi juri-  
bus immixtum. Quem demum sequuntur alii, Itali juxta at-  
que Germani. Cass. Ens Th. polit. p. 4. Joannes Cotovic9  
in Synops. Reipub. Venet. Bot. d. C. V. & alii. Sed ne vestigium  
quidem apparet forma mixtae; multo minus regiminis plane  
popularis. Hinc nimis laxè loquitur Keck. in Curs. Philos.  
disp. 36. dum Democraticum statum evincere conatur, ejus  
tamen labor in pulvere est. sed de hoc monitum satis. Restat  
nunc ut accuratius dispiciamus, qualis sit ille paucorum stat9.  
Simplicem dixi negavi mixtum. Arnisc. 4. de R. V. Janott. l.  
3. l. 2. d. R. V. Et salva res erit si distinxeris hic administrati-  
nem Imperii, ab ipsa Majestate. Summum enim Imperii jus,  
residet penes Concilium M. Reliqua autem Concilia ordinant,  
jubent, & statuunt. Decernunt autem & dicunt non titulo  
Majestatis sed concessionis à Majestate factae, & proinde  
non proprio jure, sed alieno. Tradito nempe à Collegio Sena-  
tus universim sumpto. Nec desunt, qui male inde ominentur  
Veneris; quod Nobilium tantum in Magistratum dignita-  
tibus mandandis habeatur ratio, cum plebs magnam vim ex  
multitudine habeat, & ambitiosa plerumque sit, ne aliquan-  
do adjunctis viribus & consiliis, omnem ad se deferant ex  
Republ. disponendi libertatem & potestatem; quando illis  
nunc nulla conceditur. Sed nullum inde Reipubl. exitium  
facile exoriturum esse existimo. neque haëtenus ulla ob id ex-  
citata seditiones fuerunt. Satis enim comiter populum No-  
biles excipiunt: Eumque qui unum ex illorum casu laedit, gras-

vices



viter animadvertunt. Et quanquam Patriciorum insuper  
cura sit intendere commodis suis, non tamen ad emolumentum  
plebis respicere negligunt. Sed eam simulacris quibus-  
dam demerentur, levioribusque muneribus quibusdam prest-  
ciunt. Quæ ratione facile demulcent animos populi, dum si-  
mul quoque arcanorum Reipubl. participes sunt, licet votan-  
di & suffragandi jure destituantur. Cont. 239. seqq.

10.

Excusimus qualis Venetorum hodie sit status. Pro-  
feremus pedem ad Concilia & investigemus seorsim cu-  
juslibet Consilii munus. Erit forte nobis inde veniendi  
facultas, ad Civitatis robur Reiq; publicæ nervum. Or-  
diar a. à Concilio M. Consiliorum centro, quod vasti il-  
lius corporis fulcimentum est? Cui tota Reipubl. moles  
innixa. Eminent hoc inter omnia, vindicatque sibi pote-  
statem summam, arrogat suprema Majestatis jura (x).  
Eò convenire per ætatē licet Patriciis universis. (aa) Per æ-  
tatē dico, nō n. cuilibet pro ut visū fuerit, huc concurrere  
cōcessū. Sed matura requiritur ætas, quā definiunt leges.  
Quinque autē & viginti anni sufficiunt. Hos si attigerit, il-  
licò conveniendi ad comitia jus habet. Modo familiam,  
imagines, insignia in antecessum ostendere etiam possit.  
Hæc si probavit, statim ex Candidato assumitur Collega,  
& nomen ejus in publicum Codicem refertur. A Legibus  
autem indulgentia sæpe relaxat, nam & Vicenarios ad-  
mitti, probare ex Contareno est. (bb) l. i. p. 101. seqq.

(x) Scilicet indicio hoc est vigere huc Optimatum re-  
gimen. Quicquid enim in Republ. decernitur, quicquid sta-  
uitur, hujus sancitur nomine, hujus perficitur autoritate.  
Ducunt exinde spiritus reliqui quotquot in Republica Magi-  
stratus,



gistratus, & leges vim accipiunt suam: Ut verè pronunties  
Contar. ex eo pendere totius Reipubl. fulcrum l. 1. p. 101.

(aa) Non enim ruere huc cum libet concessum, sed ju-  
stam excessisse aetatem oportet, quam tempus quinque vigin-  
ti annorum definit. Neq; dixisse saltem id sufficit, sed o-  
stendendum in antecessum jure jurando patris s. matris, aut  
proximioris consanguinei, se ad eam aetatem venisse quam  
profitentur. Ostensa aetate, duobus denuò testibus probandum,  
se ex eo Patricio genitos, quem parentem tradunt, seq; non  
spurios nec matre pudenda natos. Quin imò hoc adeo stri-  
ctè observant, ut si alicujus Patris vel Avi nomen in Codicem  
publicum nunquam relatam fuerit, jus Comitiorum non pos-  
sit adipisci, id nisi manifestè coram Triumviris Advocatoriis  
sanctis argumentis probet, Majores suos in ordine Patri-  
ciorum exstitisse. Hi demum ad Quadraginta virale  
Collegium deferunt. Horum judicio si probatur, cuius omninò  
est statuere & pronuntiare, Patricius habetur assumiturque  
Collega. Sed ne quis impune hic irreperere audeat, atque Pa-  
triciam quoddam eminentiatur genus, lege sanctissimè cau-  
tum, ut si quis id judiciū subiturus sit, quingentos ducatos  
coram Magistratu deponat, eosq; fisco inferre patiat, si causa  
cecidit sua. Cont. p. 205. exponit rationem. Rationis summa,  
ne qua labe hic Nobilium catus aspergeretur.

(bb) Scriptor quidam Belga hanc rationem tradit. 1.  
ut calor ac fervor Juvenum temperaret gelu ac frigus Senū.  
2. ut deferveat juvenilis animus in Senium consortio.

II.

Discedimus à Concilio M. ad Magistratus. Magi-  
stratum præcipuus Dux est. Italis Doge nominatur.  
Hujus amplissima dignitas, maximi honores. Sedentem  
omnes detecto capite alloquuntur, Ipse assurgit nulli.

C

Prin-



Princeps est, sed nunquam sui juris. Dux sine Imperio, Princeps sine principatu. Inclusus tegit palatio. Adire palatium nulli permissum, ne liberis quidem & consanguineis. Imò privatim alloqui suspectum & iuge prohibitum est. Si prodit in publicum, stipatus incedit Senatu. Literis Reipubl. nomine confectis ipse subscribit nomen. (cc) Sanciendi leges Senatus, jus promulgandi Dux habet. Saltem autoritas penes Principem, (dd) potestas penes Senatum est. Ordinariè omnibus Collegiis interesse à Reipubl. ipsi demandatum. Omnium Magistratum habere curam ipsi proprium quasi. Nulla privata functione utatur, sed ubiqve boni communis habeat curam. Donec Reipubl. bonum æstimat, æstimatur ipse. Abest autem à dignitate, subest Collegio Decem, si quid in Rempublicam molitur. Sed v. moliri quicquam Duci capitale, (ee) Quin imò tantus iustitiæ rigor est, ut nec post mortem conquiescat. Defuncto enim Principe, inquirunt in vitam, & acta quæ egit universa. Et si discessisse Eum à præscripto legum, si peccasse in Reipubl. comperiant, pœnam aliò qui ipsi inferendam, trāsferunt ad hæredes.

(cc) Janott. p. 187. seqq. Henning. Arnis d. R. V. p. 791.

(dd) Sufficit Duci ferme audire, & sequi necessum habet. Si non sequatur, pro hoste habetur & potestati Decemvirorum subest, à quibus vivus coërceri potest. Interest autem horum Collegio, accurate non præest, multa enim & absente Duce posse Decemviros, probare ex Contareno est. Dux v. his non presentibus ne minimum quidem aggredi posse, evincere ex eodem licet l. 2. d. R. V. Ideoq; nihil proprium aut peculiare relictum Duci supra ceteros Magistratus, præter primus in Comitibus locus, in solennitatibus præcessio, & cum



Et cum Regia veste supremus honor : Ut rectè concludat Ar-  
nis. d. R. V. l. c. dum inquit, quantacunque v. sit dignitas,  
qua Ducem suum venerantur Veneti, tantò minus potestatis  
ei tribuunt, quanto plus honoris.

(ee) Tragicum plane exemplum memorat Cont. p. 173  
de Marino Phalerio Duce. Qui in conspiratione adversus li-  
bertatem Senatus deprehensus, ad securim & eternam infamiam  
damnatus fuit, rasa una ejus memoria ex ordine Du-  
cum & ascripto hoc testimonio. Hic est locus Marini Phale-  
rii decapitati pro Criminibus. Pet. Justinianus l. 4. hist. Veneta

12.

Recitavimus prolixè auctoritatem Ducis. Festinandi  
gradus, monendumque de Collegio Decemvirorum.  
Vigor huic non ab omni tempore idem. Arctior hujus  
existimatio prisco, quam hodierno ævo. (ff) Saltem cu-  
rã habuisse concordia civilis olim sufficiebat. (gg) Neq;  
id mirum, non n. uno momento, sed per cetera temporũ  
spatia dignitates crescunt & perficiuntur. Hodiè graviori  
curæ cura annexa, dignitas dignitati addita est. Eoq; huic  
innixa communis tranquillitatis salus. (hh) Decernit  
Consilium de Republica utcuq; libet : nulla unde pen-  
deat superior est potestas. (ii) Potestas sanè maxima,  
& si non absoluta, absolutæ tamen quandoque æmula.  
Hujus munus, ut dictum, animadvertere in facta Ducis;  
peccantem contra Rempubl. vivum coërcere. Repri-  
mere ambitum, (ll) & libertatis omnimodam habere ra-  
tionem. A frivolis contra hanc machinatoribus justam  
sumere pœnam. Et quendam felicitas ejus in sopien-  
dis seditionibus fuit planè singularis. Supervacuum hic  
inquirere in exempla. Saltem unico abhinc retro Seculo  
Alexandri Boni, ex patricio sanguine Viri, seditio expia-

C 2

ta mor-





ta morte est (mm). Hujus opus Imperii arcana servare sibi, servare Collegio suo. Vindicare reos præposteræ libidinis. Reprimere nummorum adulteratores. Rei maritimæ habere curam. Prospicere tormentis, tormentorum præpositis : Hujusque in tantum absoluta de Reipubl. statuendi facultas, in quantum suprema necessitas id exigit.

(ff) *Cont. d. R. V. l. 3.*

(gg) *Id. l. 3. p. 170.*

(hh) *Confidenter idem, ab hoc toti Reipubl. præstari incolumitatem. Et credo jam diu expers anima Reipublica corpus fuisset, nisi Decemviri robur adjecissent. Imò vitam reddidissent.*

(ii) *Non in universum hoc verum est, sed certa quadam cautione accipiendum. Non enim ausim ego derogare quicquam supremæ potestati Concilii Magni, peves quod solum esse Majestatis fastigiū, jã supra multis eruere argumentis conati sumus. Unde & hoc æque ac cætera Consilia ab eo dependere affirmabo, potestatemq; saltem extraordinariam hujus dabo & non nisi in ultimo Reipubl. discrimine usitatam. Eo præsertim casu, qn. res maximè silentio tegenda, neq; diffundenda in vulgus, ne si omnium ore constet, inde Reipubl. impendeat damnum: ut si e.g. è Reipubl. sit, icere aliquod fœdus cum aliquo extero Principe, ad alium aliquem adorandum Principem exterum, & oporteret omninò rem in occulto esse, quoad conficeretur. Tunc iis libera concessa agendi facultas, & ita tamen concessa, ut semper Reipubl. aestimetur bonū. Unde & in ejusmodi negotiis literas ita subscribunt N. N. DUX VENETIARUM cum nostro CONCILIO DECEMVIRUM.*

(ll) *P. Bembo Hist. V. l. 1. p. 34.*

(mm) *Pet. Justinianus l. 15. hist. Ven. p. m. 317. n. 20. subjungit alia duo demum exempla luctuosissima, de Joanne Baptistæ*



ptista Pesareo & Joann. Baptist. Brambat. utriusq. Patriciis  
Venetis. Quorum alter inter geminas columnas laqueo ne-  
cato est, allegatoq. pedibus sclopeto, ad omniū terrorem, per  
VI. fermè horas, eminenti furca exanimis pependit. Alter di-  
vitiis longè abundans Nobilis, ad capitis pœnam damnatus  
fuit. id. l. 15. p. 305. n. 30. et. p. 313. n. 60.

13.

Præcesserunt Decemviri, Sequitur Senatus. Dici-  
tur vulgo Concilium Prægadinorum. Dixerim ego Cō-  
pendium Consilii M. CXX. patricii sanguinis Viri inter  
sunt. (nn) Ex his sexaginta Senatorium jus obtinent. Se-  
natoribus alii demum sexaginta adjuncti. Illos quotan-  
nis Concilium M. eligit: Hos nominant electi. Quicquid  
hi statuunt ratum, quicquid præcipiunt sanctum habe-  
tur. (oo) Arbitrium penes hos pacis & belli. Jus exigendi  
collectas, jus imponendi tributa. Mittendi Oratores ad  
Principes externos, instituendi classis præfectos. Prout è  
Republ. visum fuerit novos ordinandi Magistratus. Uni-  
cum addo, habet auctoritatem creandi Collegium Se-  
natus, Senatum cogendi Collegium.

(nn) Nonnunquam à Legis rigore recedunt. Nam &  
augeri hodiè sapè numerū, & privatos, qui de suis opibus ad  
publicum Reipubl. fiscū quid conferant, in socios cooptari, nec  
ipse diffitetur Janott p. 136.

(oo) conf. Donat. Janott p. 138.

14.

Excipit Senatores Collegium. Collegium dico spe-  
ciali hoc nomine insignitum. Nomen habet à numero  
ternario quem continet (pp). Quotquot in hoc continen-  
tur

C 3





tur optimi sunt. Reliquos in Republ. prudentia antecel-  
lunt. Non enim opes hic, non amicitia pensi habentur.  
Sed virtus sola, sola merita aestimantur. Et propterea indi-  
tum Collegio à sapientia nomen. Hujus placita in tan-  
tum vigorem habent, in quantum robur ipsis additum à  
Senatu est. (qq)

(pp) Appellatur communiter Collegium sedecim Sapien-  
tum. Divisum hoc in 3. Classes est. Singulae classes, v. & nu-  
mero & dignitate & negotiis denuò inter se distinguuntur.  
Priori intersunt sex, posterioribus duobus Consiliariorum  
quinque. Isti tum dignitate atque aestimatione hos facile  
antecellunt. Hi illis autoritate longè inferiores. Curare  
qua domi & foris aguntur, cura belli & pacis, exarare diplo-  
mata, cum proficiscendum ad gubernandas provincias est,  
scribere ac rescribere Principi, incumbit Sapien-  
tibus primae  
classis, qui Grandes s. praecipuarum rerum dicuntur. Alte-  
ra Sapien-  
tium classis, qui à Mari denominari solet: tractat ea  
negotia, quae in rebus maritimis tam belli quam pacis momen-  
tum habent. Aliis Sapien-  
tes ordinibus dicuntur Janott. p.  
143. Prospicere rei bellicae & militiae terrestri, juxtaque conti-  
nentis curam sibi vindicare, tertia classis Sapien-  
tibus solen-  
ne, quos moris appellare à Terra est. Conf. Janott. p. 143. Cons.  
l. 3. d. R. V.

(qq) Quidquid intus forasque geritur in antecessum  
ab his pensatur atque rimatur. Aestimata re, si digna, quae in  
publicum producat, convocant Senatum Sapien-  
tes, & propo-  
nunt quid expediendum obvenerit. Hujus judicio si proba-  
tur, ratum habetur negotium, simul atque robur additur illi  
sanctissime valiturum.



Sapientum vestigiis insistent quadraginta, quos  
 vocant, Viri. Insistemus nos horum vestigiis, serviemus  
 instituto atque trademus de officio huic magistratui à Re-  
 publ. demando. Hos Capitalium causarum iudices  
 nomino. (rr) Sanctissimæ enim justitiæ moderare fræna  
 iis solenne. Lites & causas referre ad horum Collegi-  
 um Advocatoribus, censere autem & æstimare dissidia  
 ipsis incumbit. Neque v. æstimare saltem, sed & men-  
 surare æquitatem, & sancire leges, ut delicto respondeat  
 pœna, oportet. Unde quicquid demum horum autoritate  
 decernitur, instar sanctissimæ præceptionis tenendum.  
 Nil enim reponere iis, nil objicere licitum, sed statim  
 sequi, è vestigio dicto obedientem esse, necessum: quia  
 voluisse ita, quia mandasse eos sufficit. Alibi aliunde à  
 sententia lata, ab hoc iudicio nullus nulli provocationū  
 locus relictus.

(rr) Summum hoc causarum civilium Tribunal dixe-  
 rim, idemq; esse apud Venetos Collegium quadraginta vi-  
 rale, quod in Germania Spirensis Camera & Saxonia no-  
 stra iudicium appellationis est. Dividitur in 3. Magistratus,  
 quibus singulis 40. persone intersunt, præcipuum Collegium  
 dicitur XL. Virorū Capitale. Alterū XL. Virorū vesus. Tertium  
 XL. Virorū novum. Istorū opus, iudicare pariter de domesticis  
 quæ exteris rebo, & primas instantias admittere. Illorū munus,  
 habere rationem causarum Urbanarum. Horum officium mo-  
 derare causas, quæ ex provinciis decidenda mittuntur.

Multa hætenus paucis exposui, restarent plura, de  
 inferioribus illis in universum Reipubl. iudiciis dicenda.  
 (ss) Sed



(ss) Sed præter institutum id nostrum est. Sufficit nobis attigisse ea, in quibus Civitatis robur, Reipubl. nervus. Quin potius relinquamus Civitatem ad tempus, provehemur in ditiones Reipubl. subjectas, investigemus succinctim harum civilis moderationis formam. Sic tandem procuremus ad metam, perducemur ad finem. Auspicabor autem à Civitatibus Italiæ, in continente positis. Recensebo omnia quæ opus, tradam verbo, & persequar eadè qua cœpi brevitate.

(ss) *Accuratè seorsim omnes, qui Reipubl. ab officiis sunt, exhibet Johannes Cotovicus in Synops. Reipubl. Veneta. Qui autor appositus Cass. Cont. sub finem est. Post hunc Lucas de Linda de Reg. Polit. Reipubl. Ven.*

17.

Regunt provincialium in Italia Civitatum civilis regiminis gubernacula Prætores. (tt) Quibus amplissima dignitas, maximi honores à Republica destinati. Quanto v. plus autoritatis, tanto minus potentiæ illis concessa. Gerunt n. valdè circumscriptum magistratum, eumque nec diuturnum. Cœterum civilis administratio, separata planè ab illa cura est, quæ in bellicis rebus momentum habet. Ut ita æstimetur commune bonum ut consulatur Reipubl. libertati,

(tt) *Singula in Italia Civitates habent suos Prætores, habent Quæstores, atque Præfectos s. Præsides. Quibus singulis seorsim peculiare suum demandatum opus, quod observet strictè, persequetur justè, ex obligatione qua tenetur erga Rempubl., tanquam superiorem, à quo dependet. Nempe curare qua ad militiam pertinent Præfectis solenne. Quæstoribus ararii & publicorum reddituum ratio demandata.*  
Præ-



Pratorum v. opus, publicarum causarum adeoq; civilium pondera aestimare & librare. Hos Gallus quidam de la Hay potestates nominat. Officium horum ultra triennium non prorogatur, neq; extenditur facile horum potestas longius quam ad s. vel 6. milliaria. Ratio in obscuro non latet. Rationis summa, ne quispiam facile sibi nimias comparet vires, atque exinde forte communi tranquillitati impendeat damnum.

18.

Eadem ferme habetur ratio Provinciarum, Dalmatiæ, Cephalonix, Zazynthi aliarumque. Quarum gubernatores atque præfecti vulgò vocari solent Proveditores. (uu) Neque enim & his perpetua sedendi facultas ad gubernacula Reipubl. est. Sed æque certo ut illorum, qui civitatibus præsunt, tempore definitur potestas. Quo elapso, privatos ad Venetum Civitatem, præcipuam Majestatis sedem, redire eos oportet. Reddituri rationem ibi coram Decemviris, de administrati Imperii modo. Nempe hoc mirabile præscindendi ambitionis fastum arcanum est.

(uu) Proveditoribus adjunguntur Legati s. Imperatores exercitus, qui belli potestatem castrorumque curam habent. Et prudentissimo sane consilio caverunt sibi Veneti, quod Civile regimen ab illa cura, qua prospicit militia rebus, plane semper separatum sit. Ne v. & forte hi contra tranquillitatem publicam quid moliantur, ita potestatem delegaverunt ipsis, ut nihil possint sine Proveditorum consensu. Unde & milites quando sacramentum Reipubl. dicunt, in tantum Imperatori pollicentur obedientiam, in quantum eos nil contra Rempublicam tentare jubet. Sic neque in eo videtur minimè positum esse momentum, quod ne quidem Legato exercitus integrum sit augere stipendia militum. Imò ne plus panis largiri

D

giri



giri illis sine consensu Proveditorum. Ratio, ne militum animos donis fortè erga se accendant amore. Id saepe v. in Proveditoribus desidero, quod studeant plerumq̃ suis partib9, posthabito Reipubl. cog̃ publico commodo. Atq̃ pecuniam ad reparanda Castella finitima, muniendas arces, quæ hostium objiciuntur furori, à Reipubl. transmissam, in privatum vertant usum, & adeò publicis redditibus ditefcant. Ast supervacuum hoc mirari, communis simum enim hodie omnium Imperiorum, juxta ac Rerumpubl. visium est.

19.

Generalissimum belli, non nisi belli tempore eligunt. (xx) Qui extincto armorum incendio, idem cum Proveditoribus cōmune habet, ut privatus revertatur ad Urbē, & ostendat coram Consilio Decēvirūm, se omnia, quæ opus, sedulo impendisse, quin patriæ quoddam ab hoste inferretur detrimentum. Quæ si, quas adducit rationes, ab his probantur, nullamqve subesse fraudem vident, à Sacramento, quo Reipubl. fidem suam promiserat, illicò absolvitur. Eique qua hæctenus utebatur auctoritate, nulla amplius relinquitur.

(xx) Spectat officium hoc potissimum militiam navalem quoties enim bellum maritimum suboritur, eligunt Generalissimum belli. Pacis v. tempore, imperium hoc demandatum est Generali, quem vocant di Golfo. Eadem a. facilitate hodie ad hanc dignitatem evehitur quidam ex populo, quam Patriciorum ordine, modo prudentia militari, quantum opus, instructus sit. Hujus autem moderamine sub sunt reliqui navium Generales, & qui communi loquendi formula audiunt Capitanei.

20. Ste-



Stetit Respublica, inter Respublicas Princeps, supra mille annos. Stat adhuc feliciter, in terris miraculum. Stabit longius, si fata permittent, & stabit terrarum ille orbis. Oriuntur alioqvi Imperia & desinunt, surgunt Respubl. atq; intermoriuntur. Eademque quæ hominum, Imperiorum sunt vices. Hic florent, illic senescunt, alibi exstingvuntur. Exemplo Atheniensium illa, Romanorumq; vetus. Quot vicissitudines quis fermè cogitare, tot illæ obnoxiaæ erant. Cessarunt tandem penitus, ut præter memoriam, fuisse eos quondã, mortales nil amplius subeat. Sed omnium hæc lex est, non durare semper, non manere vestigio eodem. Sola Respubl. Veneta ferme canitie sua venerabili, se gentibus fecit stupendam. Remotis æque ac propinquis, Sibi gloriam comparavit suæque genti, ex hominum animis nulla intercapedine temporum abolituram. Neque v. sola senectus immortalis hujus gloriæ argumentum. Sed præcipuam integra ab adolescentia usque servata libertas est. Libertatis fundamentum v. in sollicita legum observantia positum, atque diligenti communis publici cura. (yy) Et certè Veneta Virtus, perfectissimum regiminis exemplar universæ posteritati reliquit.

(yy) Sentit idem nobiscum & quidem verè sentit Boxhorn. in Inst. Polit. l. i. c. 5. & Först. ad Tacit. Tom. 1. p. 688. Venetam Rempubl. mortalitatem effugisse non alius magis instituti beneficio, quam in staurandarum, corrigendarumque Legum sollicitudine, reducendo, revocandoque cuncta, qua labare viderentur, ad priscum morè & consuetudinè. Exemplum suppeditat Annus millesimus quingentesimo octuagesimo secundus, in Collegio quod vocant Virorum decè. Quod cum limites



suos, in quibus alios continebatur, contra jus fasque trans-  
grederetur, seque prater modum supra ceteros Magistratus  
extolleret, atque immodicam nimirum se efferente potestate,  
terribile esse libera Civitati inciperet, certis denuo limitibus  
à Consilio Majori inclusa Decemvirorum potestas est, ne  
noxia Reipubl. eveniat. Ceterum neque hic Politicorum una  
est opinio, quanam Leges istae sint, quibus Reipubl. fulcimen-  
tum innixum. Solus hic nobis sufficere posset Trajanus Bocca-  
lini, in suis, quas vocat, Relationibus ex Parnasso Cent. 1. re-  
lat. 5. ubi discursu prolixo, stylo equidem Satyrico, omnia  
quibus momenti quicquam subesse possit, declarat. Addere tamen huic  
& alios non prater rem fore putamus. Cominens l. 4. de bell.  
Neap. inter praecipua ponit religiositatem, & strictam obser-  
vantiam divini cultus. Boterus tranquillitatis causam non  
minimam esse refert, quod Civitas interfluentibus aquis in  
multas quae partes divisa sit, eoque infido populo coeun-  
di facultas praclusa. Hunc sequitur Först. in notis ad Ta-  
cit. Tom. 1. pag. 524. Sed vero omnium opiniones hic sin-  
gulatim percensere, ab instituto nostro plane alienum duci-  
mus, quapropter de iis tantum sollicitos esse, in quibus summa &  
cardo rei consistit, pretium opera erit. Praecipuum itaque  
fundamentum, sequentibus insistere crediderim, 1. quod Nobi-  
les, praesentem hunc statum amantem populum, satis comiter  
adhuc habeant, eumque, qui uni vel alteri injuriam infert gra-  
viter animadvertant. Neque plane à publicis in Republ. officiis  
secludant populum, sed etiam illum, vel potius quosdam ex  
populo simulachris quibusdam demereantur. Id v. non dissi-  
mulem hic, illa quae recipiunt officia, esse plane diversa, à  
communione Imperii Civilis. Neque huc parum facere insu-  
per crediderim ad demulcendos subditorum animos cum tri-  
butis minimè ipsos gravent. Notum v. populum majoribus  
beneficiis haud capi posse, quam si nimis tributis pendendis  
immu-



immunis. Unde & Respubl. opibus indigens, saluberrimo  
instituto, potius majora imponit vectigalia, quam ut nova  
exigat tributa. Hinc & magis ad pacis, quam belli tempora,  
status Venetorum accommodatus est. II. Quod patriciis iis-  
que qui Reipubl. nomine civile Imperium gerunt, nimiam  
potestatem non concedant. Quin potius omnem à Civitate  
fastum atque ambitum excludant, eumque deperientem de-  
testentur, ac tanquam putidum membrum à corpore civili  
sano precisum velint. III. Huc facit Magistratum diversis-  
tas, nam cum intelligerent, in tanto numero non posse non esse  
se multos ambitiosos, plurimos Magistratus constituerunt. E-  
osque ita adornarunt, ut illorum dignitas non esset perpe-  
tua, sed certo temporis spatio circumscripta, ut vel ita praeclu-  
datur via adspirandi ad majora. Vel ut omnibus, vel pluri-  
bus saltem hac dignitas offerri posset. IV. Inter fulcra liber-  
tatis esse obs. Boxh. p. 393. in Inst. Polit. quod Duces, in continua  
serie, ex una familia non legant. Neque in Consilium quod à  
denario numero appellare moris est, & Procuratorum Divi Mar-  
ci agnatos admittant. id. p. 499. V. Nec praterendum silentio,  
quod certis temporibus, quosdam quaesitorum Titulo, in Pro-  
vincias sibi subiectas cum vitæ necisque potestate mittere sole-  
ant, qui in ambitionem & avaritiam Magistratum animad-  
vertant & à potentioribus oppressos sublevent. Mauroc. l. 18.  
vid. Först. Tom. 1. p. m. 176. VI. Inter prudentissima Vene-  
torum instituta & hoc maximum fore puto, quod otiosum in-  
stud & non nisi abdomini natum, non laudi atque gloria, homi-  
num genus Clericos, ab omnibus Reipubl. consiliis excludant.  
Non ignari pestem hos homines esse Rerumpubl. Cum quod sa-  
cramento teneantur Pontif. Romano, eoque sine dubio magis ob-  
servent suum & Ecclesie commodum, quam Reipubl. emolu-  
mentum. Tum, quod si quaedam arcanorum notitia illos teneat,



*ex obligatione erga Curiam Romanam, illicò significare eos oporteat. Non prudenter magis quam verè observante ipso Thuanò l. 23. & Bodinò l. 3. d. Republ. c. 1 n. 8. VII. Præcipuum deniq; institutum est, quod arcana sua maxime silentio tegant, unde apud Venetos nullum majus piaculum est, quam nimia cum Senatoribus, & his qui Senatui à secretis sunt, familiaritas Nolunt n. illi ab exteris secreta sua explorari. Malunt, inquit haberi rustici, inhumanè contemptores, quã Reipubl. suæ arcana vulgari, Forst. ad Tacit. Tom. 1. p. 34. Rectè monuit Ille: Imperia regnãq; fama stare. Nec è re esse, hostes a. dubios amicos scire, quæ nostræ vires, quæ consilia sint. Idem agnovit Carolus quondã V. gentium ille terror, Imperatorq; noster Augustissimus, dum vita decedens, Philippo filio suo II. hic Philippo III. nullum magis profuturum consilium daret, quam ut secreta Imperii omnium maxime celaret, neq; diffunderet in vulgus. Hæc Venetæ libertatis basis, hæc fulcimenta sunt.*

21.

Imperat Respublica subditis suis: Reipublicæ, Ratio Status. Hæc adeò, libertatis amore, obfirmavit animos Venetorum, ut occupare nunc alia nolint, sed sua defendere sint contenti. Satis existimantes, esse ad gloriæ laudem, incerta illa & intra dubiam armorum aleam posita, temere non adfectare, Sed parta tueri, præsentia sustinere contra quosvis hostium globos. Hoc, opinor, consilium retinebit Venetus ocellus, quo securitatem parabit sibi, prudentiam repræsentabit suis. Non ausim equidem hortari ego: Hortatur ipsum Cameracense fædus. Aucta satis Respubl. est, defendere eam oportet. Præsentia retinere gloriosum. Amissorum sufficit meminisse. Ut Bilancem potentiæ civilis in Italia librare. Sic amore Gallum demereri, honore Hispanum. Reverentiam Cæsari exhibere, ut magis muniat quam



quam conciliavit securitatem, consultum esse censent prudentes. Non vacat addere, existimare eosdem, maximum quoque è re Venetorum fore momentum, habere firmum necessitudinis vinculum cum Osmanidarum Porta. Sed vanum sperare illud. Probare licet amicitiam Turcæ, quantum potest, fidem non habere. Tegit sub corde Barbarus vulpem. Frangere fœdera, pervertere pactorum rationes nulla religio ipsi. Si quando pax initur, inducias non pacem fecisse credendus est Sultanus. Bellum non denuntiare, ne quidem nefas ipsi putatur. Ejus rei nuper exemplum dedit, cum se Melitensibus destinasse bellum pronuntiabat. Postmodum vero ex improviso, vim omnem vertebat in Candia Urbem. Summatim dicam quod sentio, jus in injusto bello est. Dulce ipsi lædere, læsus ipse, nescius est placari. Quæ omnia satis docent, quid hinc facto opus sit. Ut nempe eligantur circumspecti militiæ præfecti, qui vigilent mature, consulant recte, ponderent præsentia, æstiment futura. Sic enim tutissimo ibitur. Et sanè interest Reipublicæ splendidissimæ, servare decus, servare decoris famam. Itaque moderari statum, ne, quoniam canitie jam venerabilis in summo agit, inclinationem aliquando patiatur.

**SOLI DEO GLO-  
RIA.**

*Ad*

*Dominum*

**RESPONDENTEM,**

**Amicum dilectissimum,**


*Stu.*



AK  
Th  
6042

**S** Tupenda teſta, robur Urbis Hadria,  
Tantaq; fulcimenta molis ponderas,  
Et fræna miraris, quibus Pontum premit.  
It docta mens per purpuratos Ordines,  
Gravesq; motus singulorum colligit.  
Ac cuncta libertatis aptat pondera,  
Expone viſa. Quid niſi & miracula,  
Opus, & labores hic Deorum cernimus.  
Sic reddis Urbi famam, & impetras Tibi.  
Laudes placent Veneto, placet reverentia.  
Cum paginas has legerit doctiſſimas,  
Morumq; contemplarit elegantias.  
Nomen Politi reddet & Doctiſſimi.

## PRÆSES.



**V**ires Tui bene experiris ingeni,  
KIRCHBACHE, dum primordia Urbis maxi-  
Auctusque miros explicas, ac gloriam (ma,  
Quam conſecuta fortiter rebus mari  
Terræque geſtis. Perge. Sic Tibi decus  
Studia parabunt, velut ei Prudentia.

Politiffimo Dno. Reſp. Autori, A-  
mico & Conviſtori ſuo ſubito  
gratul.

Balthasar Stolberg /

Græcar. Liter. Prof. Publ.



10 17



Q.K.  
375,  
24.

REI

DN. G I

JOHANN



MOI

A

Exp

A

ceet /

CH,



Top 5



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches  
Centimetres

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue